

anno præterlapso divulgabatur idem liber explicatione Kratzensteinii illustratus, varia præcipue in Prolegomenis minus apte nimisque dure dicta quibusdam Magnatibus videbantur, v. gr: quando ostreas in patina mensæ imposita jacentes prolixè loquentes et concentum musicum instituentes proposuit, et quod primarium fuit, Translatio Gallica plurimis in locis erat maxime falsa et à genio lingvæ gallicæ discedens. Hinc totus primus Textus à Kratzensteinio elaboratus, invito auctore, jussu Regis suppressus est ac omnia exemplaria revocata; Prædictus vero Cramerus, Concionator aulicus, Polyhistor atque bonarum artium (vulgo belles lettres) sat gnarus, summus Orator Germanus, novum jam adornavit Textum. In Prolegomenis enumerantur præcipua Musea naturalia Havniensia, simulque additur, quod haud immerito Lectori mirum videatur, Te in præfatione Musei Regis Adolphi Frederici nullam fecisse mentionem Museorum Daniæ, ad minimum Musei Regii, cujus descriptionem dedit Jacobæus, reliqua verò enumerat D'Argenville.

Primarius tamen labor tam in editione Kratzensteiniana quam Crameriana debetur D<sup>no</sup> Spenglero, Tornatori Aulico, natione Helveto. Hic Spengler Vir quidem illiteratus, sed ob magnam animi probitatem, insignem in artibus mechanicis dexteritatem atque habilitatem, et summam in Historiam naturalem propensionem non sat laudandus, selectissimam conchiliorum collectionem acquisivit, quam quotidie novis ex Guinea, India orientali et occidentali, Norvegia et Islandia apportatis auget. Hic Auctores Conchiologicos perlegit, Synonyma atque Figuras auctorum ad Tabulas Regenfusianas addidit, imò descriptiones fere omnes confecit. Conchilia rudiora eleganter purificare et ab exterioribus integumentis immundioribus denudare probe callet, tam opè aqvæ fortis quam tornando, ultimo tamen artificio conchiliorum multa justo pulchriora ac præternaturalia evadunt.

De cætero me Tuo Favori de meliori nota commendatum velim, meoque nomine Nobilissimæ Tuæ Uxori charissimisque filiabus plurimam dicas salutem, humillime precor.

Havniæ d. 1 Julij 1759.